

licentia et mandato, diffinitivam pro dictis Episcopo. et Capitulo sententiam promulgavit. prephatum nobilem in expensis ab eisdem Episcopo et Capitulo in prosecutione cause predictae factis legitime condemnando, earum taxatione sibi in posterum reservata; quas postmodum in decem Unciis Auri prehabita. provida Moderacione taxavit. prestituto super hoc pro parte Episcopi. et Capituli predictorum Iuramento secuto prout in Istrumentis publicis inde confectis dicti Auditoris signatis Sigillo plenius continetur. Cum itaque nos sepe dictorum Episcopi. et Capituli supplicationibus inclinati. huiusmodi sententiam et condemnationem ratas et gratas habentes. eas per licteras nostras duximus confirmandas. Paternitati vestre qua fungimur auctoritate mandamus. quatinus. easdem sententiam et condemnationem. per nos vel per alium seu alios executioni demandare curetis. facientem prephatam sententiam firmiter observare. contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo. Invocando ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Datum apud Montem Garganum Idus octoris. pontificatus domini Nicolai pape quarti Anno Tercio. volentes igitur predicti domini Mandatum exequi reverenter et fideliter adimplere, Cum Notarium proprium non haberemus. assumpsimus nobiscum fratrem Nicolaum de Nerito de ordine fratrum Minorum dompnum Guillelmum de Guamario Canonicum Ecclesie Melfiensis pro testibus ac dompnum Iacobum presbiterum predictae Ecclesie pro scriptore ne de processu in dicta executione per nos habendo, posset in posterum dubitari. Et dictum Bartholomeum per specialem nuncium moneri fecimus ut pareret prefate sententie et de preteritis decimis et expensis satisfaceret integraliter Episcopo et Capitulo supradictis. et ipsum monuimus per nostras licteras. quarum tenor talis est. Sinibaldus Miseratione divina Episcopus Melfiensis datus Iudex exequutor per dominum legatum Episcopo. Et Capitulo Montis viridis super. sententia lata pro ipsis